Gregorovii Sigism: Quaestio de natura coeli.

QVÆSTIO
De
NATVRA COELI.

In Alma Academia Crac: Disputationi publice proposita, Anno Domini 1621.

Ad Diem Martii 19 Horam 14.

Respondente

M. SIGISMVNDO GREGEROVIO Radoms: Professore Nouodworsciano, & Contubernij Philosophorum Seniore.

Permissu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ.
In Officina Typographica Francisci Cesarij.

In Arma Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini.



LIPSCI Iustitiæ longùm memorande Sacerdos,
Quis tua Rastra isthæc non cupidè aspiciat?
Hæc etenim Regni excoluêre fideliter aruum,
Vnde fluunt Lechiæ commoda magna noua.
Quare age tu solidâ felix hac laude fruaris,
Rastra: polo dabit haud inuida posteritas.

Adamus Skrzydłowski, Eloq: Stud.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domino,

D. ANDREÆ LIPSKI

DEI GRATIA EPISCOPO LVCEOrienſi Cancellario Regni ampliſ. &c. Domino D. Patrono æternùm colendo

S. & F.

SYNOPENSIS ILLE PHILOSOPHVS *dum Corynthus obſideretur, atq; Corynthij quod in huiusmodi neceſſitate facto opus fuerat, quisque aliquid, agerent; ne vnus ocioſus inter omnes negocio acerrimè intentos, appareret: dolium, (quæ ſua domus tum fuerat) verſare, ac per mediam Ciuitatem in oculis Ciuium volutare cæpit. Conſimile quiddam* ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRAESVL *agere me nunc intelligo. Cùm enim altrix mea benigna Academia, nouum genus velitationis proximè præteritis annis inſtituerit, vt ij, qui inter Academicos Collegas cooptari volunt, in ſua quisq; diſciplina, quam ſibi ex omnibus maximè colendam propoſuit, publica exhibeant ingenij ac progreſſionis præclaræ ſpecimina; cùmq; alij alia pro ſuo inſtituto aggrediantur, ego illam mundi partem (propter cuius contemplandam pulchritudinem oculos homini datos Plato diuinus crediderat) quàm attentiſſimâ curâ & cogitatione, volutandam decreui. In quo negotio haud ſcio annon iure gloriabor ſuperari à me Diogenem, non ob eam cauſam tantũmodo, quòd ille dolium manu, nihil omnino agere volens; ego Cæleſtem domum animo & cogitatione, non parum inde vtilitatis expectans, voluere conſtituerim: verumetiam quòd ille populo ſpectante, ego Viris Academicis & inſpicientibus & benignè cenſentibus, atq; quod caput eſt, Veſtra Illuſtriſſima ac Reuerendiſſima Cels: annuente, ac ſua incredibili benignitate aſſulgẽte (licet hoc*

totū ad lucernam Aristophanis minimè spectatū sit, vt ait Varro,) in puluerem & arenam producam. Quæ causa mihi erat prima, vt ingenuè fatear, quâ sum adductus, vt sub Tuo nomine amplissimo hoc quicquid est, etsi sentio quàm exiguum, lucem aspiceret. Dederat enim ante Vestra Illustrissima & Reuerendissima Cels: (cum adhuc in Collegio Prælatorum Ecclesiæ Cath: Cracouiensis Solis ad instar luceret) amoris in me & beneuolentiæ documenta sanè permagna; quæ, quoties apud animum meū reputo, toties me immensum quiddam debere Illustriß. & Reuerendissimæ Cels: Vestræ palam & libenter profiteor. Accedit huc etiam Almæ parentis meæ Academiæ (quam causam habeo publicam) ratio; cuius omnes meliores spes, non ad præsens tantum, sed ad stabilimentum perpetuæ integritatis in Vestra Illustrißima ac Reuerendißima Cels: maximè conquiescunt. Quamobrem accipies eo libentius eoq; magis æqui boniq; consules, significationem meam in Te perpetuæ obseruantiæ Illustrißime ac Reuerendissime Præsul, quò grauius non meis tantum priuatis, verùm etiam publicis Academiæ momentis ad id impellor: vt interim taceam illud, quod primo loco poni debet, Felicitatis esse cuiusdam, Tuarum amplißimarum virtutum heroico patrocinio protegi. Ac Academia quidem quæ Tuæ Illustriß. Cels constanti ergà se studio gloriari solet, laborum & neruorum, atq; istius in eam inusitatæ propensionis, fructum vt spero diuturnum capiet Illustrißima ac Reuerendissima Celsitudo Vestra: à me verò expectabit, cùm me non indignum suæ amplitudinis protectione iudicans, ad quæuis maiora aggredienda fauore & beneuolentia sua heroica animabit. Cui vt Deus Opt. Max. felicissima in dies omnium bonorum incrementa cum perenni valetudine præstet cupio & exopto. Cracouiæ è Contubernio Noscouiano ad 4. Nonas Martij, Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo primo.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Cels: Vestræ
æternùm deuotus.

M. Sigismundus Gregerouius
Senior Contubernij Philosop.

In nomine Domini Amen.

QVÆSTIO.

V. Cœlum carens compoſitione, quæex Elementis, non ea quæ ex Materia & Forma, habeat Materiam perfectiorem, & ſpecie diuerſam à noſtra, & vniuſcuiuſq; tam Materia, quàm Forma, ab ea, quæ alterius, ſpecie diſtinguatur; depēdeatq; in actionibus ſuis eſſentialiter ab Intelligentia Motrice, an verò ab aliis cauſis, necne?

CONCLVSIO I.

Cœlum non eſt corpus ita ſimplex quin conſtet Materia & Forma.

COROLLARIA.

1. Omnium Corporum sensibilium hæc duo principia, Materia scilicet & Forma, sunt essentialia.

2. Vnumquodq; cum cadat sub sensum ratione Materiæ, sub intellectum vero ratione Formæ: Cœlum quamuis cadat sub vtrumq; non est tamen eiusdem naturæ cum Elementis.

3. Cum eandem rem in ordine ad idem, simul esse causam Materialem & Formalem planè repugnet, eò quod hæ causalitates, conditiones requirant formaliter oppositas, scilicet, Esse in potẽtia, & Esse in actu formali: fit vt in Cælo hæc duo, Materia scilicet & Forma sint opposita & distincta realiter.

4. Cœlum cũ vim agendi in hæc inferiora obtineat, habeatq; determinatam existentiam & quantitatem, & alia permulta accidentia, præcipuè lucem, non est tantum ipsa Materia.

5. Cœlum cum sit Corpus naturale habens in se Naturam, quæ est principium motus, si sola Forma esset, per se moueri dici non posset.

6. Cœlum constare naturâ non ideo dicitur, quod omnis Natura sit principiũ motus & quietis, sed quod omnis

minis motus & quies naturalis, sit à naturâ.

7. *Quantitas, Raritas, Densitas, quæ in corporibus Cœlestibus, reperiuntur, concomitantur Materiam, & eam in Cœlo denotant.*

8. *Cœlum ex natura sua capax est qualitatis & mutationis perfectiuæ, quam non in Forma sed in Materia primò recipere apta est, vt in extremo Iudicij die eueniet.*

9. *Non ritè, neq; vniuersim colligitur, ex vnitate affectionum, vnitas specifica Materiæ.*

10. *Vt Materiæ primæ non repugnat vnitas specifica cum distinctione numerica, ita eidem non repugnat distinctio specifica cum vnitate numerica.*

CONCLVSIO. II.

Materia Corporum incorruptibilium perfectior & diuersæ rationis est à Materia Corporum corruptibilium iuxta doctrinam Peripateticam.

COROLLARIA.

1. *Aperta & euidens Sententia est Aristotelis lib: 12. Metaph: Tex: 19. & 9. Metaph: Tex: 17. Materiam Cœli esse diuersæ rationis à Materia aliorum Corporum.*

In altiore

2. In altiore ordine illud collocandum est, quod non est capax cuiusuis alterationis & peregrinæ impressionis

3. Materia incorruptibilium, quia respicit actum inseparabiliter informantẽ, excedit perfectione Corruptibilem, quæ actum informantem separabiliter respicit.

4. Ex eo quòd ordinatur Materia incorruptibilium ad suam Formã vt ad actum sibi adæquatum nobilissimum, excedit perfectione Elementarem.

5. Diuersitas Motus circularis Cœli à Motu sublunarium, diuersam Materiam vtriusq; arguit.

6. Cœlum concedentes naturæ elementaris, necessariò tendere sursum vel deorsum concedere debent.

7. Materia Cœlestis, quia non habet ordinem & desiderium ad easdem Formas, ad quas sublunaris, habetur pro distincta specie ab hac.

8. Materia Cœli quia pati nihil potest ab his inferioribus, meritò iudicatur diuersæ speciei ab his inferioribus.

9. Non repugnat naturis rerum, quòd in substantialibus potentijs & Materijs, detur specifica & essentialis diuersitas.

10. Cœlum suapte naturâ caducum non est.

CON-

CONCLVSIO III.

Omnia Corpora incorruptibilia ſpecie diuerſa à Corruptibilibus, habent, non ſolum Materias, ſed etiam Formas, ſpecie diuerſas.

COROLLARIA.

1. *Materia Cœli Cryſtallini, quia non eſt capax naturaliter Formæ Cœli Empyrei, & diſpoſitionum, quæ ad illam requiruntur, non poteſt dici eiusdem eſſe rationis.*
2. *Forma Cœli Empyrei non poteſt educi de potentia Materiæ Cœli Cryſtallini.*
3. *Orbes Cœleſtes non eſſe tranſmutabiles in alios ex eo prouenit, quòd vnuſquiſque habet propriam Materiam ita accommodatam, & commenſuratam propriæ Formæ & diſpoſitionibus illius, vt nullo modo prorſus ſit capax aliarum.*
4. *Materia cuiusq; Cœli ſatiatur ſua Forma, quia non eſt capax aliarum neq; indifferens, ſed ex vi ſuæ eſſentiæ, eſt determinata ad talem Formam.*
5. *Corpora Cœleſtia inter ſe non ſolùm numero, ſed ſpecie diſtinguuntur, ex eo, quia ſingularia multipli-*

cantur in eadem ſpecie propter conſeruationẽ, quod nonrequirunt Corpora Cœleſtia.

6. *Omnes Materiæ Cælorum in ſpecie conueniunt, quæ ordinantur ad Formam inſeparabiliter informantem, quæ tamen conuenientia, non eſt in eis ſpecifica ſed generica, & ex illa infertur diuerſitas ſpecifica.*

CONCLVSIO IV.

Cælum in actionibus ſuis ab Intelligentia mouente eſſentialiter non dependet.

COROLLARIA.

1. *Etſi verum eſt, Cælum eſſe inſtrumentum Intelligentiæ mouentis ad aliquas actiones, tamen ab illa non pendet, quia nullæ ſunt huiuſmodi actiones.*
2. *Intelligentia non eſt virtus principalis ad effectus corporales efficiendos.*
3. *Cæli ſi agunt hoc fieri per aſtra, quæ per lumen agunt, quod non habent niſi à Sole.*
4. *Vnum quodque aſtrum habet propriam virtutem innatam & connaturalem per quam influit.*
5. *Cæli vt habent formas proprias ſpecie diuerſas, ita ad*

illas

illas consequntur propriæ virtutes & facultates, speciè diuersæ.

6. *Cœlum etsi dependet effectiuè ab Intelligentia rotante & gyrante ipsum, non tamen Intelligentia est Forma Cœli, quod perperam quidam astruere sunt ausi, sed assistit duntaxat Cœlo.*

Sub Felicibus auspiciis Admodum Reuerendi & Magnifici Domini D. IACOBI DE TVROBOYCE TVROBOYSKI S. T. Licentiati & Professoris S. Floriani Decani, Præpositi SS. Omnium. Almæ Academiæ Cracouiensis Generalis RECTORIS.